



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quae pollutio reconciliationem requirat. 18

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. XVII. *Cur reconcilietur templum aut cœmeterium.*

Reconciliatur Ecclesia aut cœmeterium ob seminis emissionem, peccandi libidine factam; itidem ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera violenter & injuriose commissam, ac aliis quibusdam de causis; qui mos ex Levit. 14, & 15 suam originem trahit. Fit autem hæc reconciliatio, non quod templum revera polluatur; Ecclesia enim, quum sancta sit, coquinari non potest; immo ipsius loci sanctitas, infamiam loci abolet: sed, quum templum locus sit, ubi delictorum venia postulatur, ubi salutaris Hostia pro peccatis immolatur, ubi Deo laudes exolvuntur, ubi tutela refugii esse debet; fit, ut scandalum, horror, atque abominatio turpitudinis & peccati, ibi commissi, propositum quoque & voluntas letaliter delinquentis, in causa sint, ut sacer locus reconcilietur; idque ad exemplum & terrorem; ut, videntes, locum sacrum seu inanimatum templum, nullo peccato obnoxium, lavari & purificari, delicti horrore concutiantur, & recogitent, quantum, pro expiatione delictorum, vivo Dei templo sit elaborandum. Sic Christus ementes & vendentes è templo ejecit, flagello facto de funiculis; ipsos acerrime corripens, ac dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. aliud quidem agens, aliud verò innuens.

CAP. XVIII. *Qua pollutio reconciliationem requirat.*

Non tamen omnis pollutio hanc reconciliationem requirit, sed tantum publica vel per rei evidentiam, vel saltem per famam. Quod si occulta sit contaminatio; quæ etiam Baptismi ac Penitentiae sacramenta non remoratur; solemnitas non exigit; quod ratio reconciliationis in occultis non habeat locum.

CAP. XIX. *Quorum sumptu & expensis reconciliatio facienda.*

Reconciliationem autem ejuscemodi gratis fieri, ac tamen itineris sumptus Vicariis Nostri in Pontificalibus suppeditari volumus. Qui quidem sumptus ex Bonis delinquentis desumentur; modo tamen tantæ illius facultates sint; sin secus, Parochiani non gravabuntur vel tantillos sumptus itineris suppeditare, ne populus præter culpam suam gravetur. Ne verò diutius, ob talem pollutionem, Divinum suspendatur Officium, aut Ecclesiastica intermittatur sepultura; Vicarius Noster in Pontificalibus, statim ut vocatus fuerit à populo, (modo gravioribus rebus id temporis non fuerit impeditus) ultro ibit, Officium suum expleturus.

CAP. XX. *Immunitatem Ecclesiasticam in duobus potissimum sitam esse.*

Immunitas Ecclesiastica, vetustissima res est, Iure pariter Divino ac humano introducta; quæ in duobus potissimum sita est. Primum, ut Clerici, illorumque possessiones & bona, à vectigalibus & tributis, aliisque muneribus Laicis libera sint. nam (ut de libertate Levitarum sileamus) non temere refert Scriptura, Pharaonem totam terram Ægypti sibi tributariam fecisse, præter terram Sacerdotum, & possessiones quæ à rege traditæ fuerant eis, quas vendere non sunt compulsi: quin potius ipsis etiam statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, ut legimus Genes. 47. Deinde, ne rei criminis, ad Ecclesias confugientes, inde violenter extrahantur; exceptis publicis latronibus qui per industriam proximum occiderint, ac nocturnis depopulatoribus agrorum, qui itinera obsident aggressionum insidiis; denique his, qui sub immunitatis spe in Ecclesiis ac cœmeteriis delinquant. Quod si à confugientibus ad Ecclesias paria his commissa sint crimina, quæ reipublicæ referat puniri; tantisper saltem debet secularis potestas à manuum injectione abstinere, donec Nostros consulari Officialibus, ne devenire necesse sit ad cessiones à Divinis & interdicta, quæ visum est antecessoribus Nostri, ob violationem ejuscemodi immunitatis, editis constitutionibus promulgare.

Ex Cont. Latera. c. non minus. Ex generali c. ad versus. de immu. Eccles. Ex Cont. Tolet. 3. c. Ecclesiasticum servos. 12. q. 2. Genes. 47. c. inter alia. cap. immunitatem. de immu. Eccles. Ex Gangr. c. si quis per super. 30. dist.

CAP. XXI. *Quemadmodum Fraternalitates reformandæ sint.*

Fraternalitates, quæ vocantur, & in honorem aliquorum Sanctorum in Ecclesiis fiunt, speciem quidem pietatis habent; sed, quales hac tempestate servantur, nempe in quibus tam Clerici, quam Laici, potissimum comeffationibus & ebrietatibus vacant, interdum etiam variis conspirationibus adversus potestates intenti sunt, si non omnino sublatas, saltem correctas ac reformatas volumus. Omnino sublatas malimus; ac, reditus seu census earundem, vel in usus pauperum vel Parochi, expendi, Nobis magis placuerit. At, cum hæc Sodalitates forsitan præter publicum officium, ac pauperum (qui ab eis Elemosynas ex constitutione accipiunt) præjudicium, commode tolli non possint; videbimus inter visitandum, ut saltem tollantur abusus, ut prima servetur institutio & examinentur formulæ earum & statuta, ut ratio ac calculus singulis annis per Provisores (ut vocant) earundem Fraternalitatum coram Parochis Ecclesiarum reddatur, ut superextantes fructus ac reditus in pauperum seu Ecclesiæ usum ac utilitatem convertantur, aut etiam inde aliquid Parocho ad victum decidatur.

Matt. 21. Ioan. 2.